DISSERTATIO JURIDICA
DE
OFFICIO JUDICIS,

Quam
ANNUENTE
SUPREMI JUDICIS GRATIA
CONCEDENTE
Magnifico & Nobilissimo JCtorum in Illustri ad SALAM Academiâ Ordine,
PRÆSIDENTE

DN. GEORG-ADAMO Struven/
Hæreditario in Uhlstädt/ JCto & Antecessore hujus Academiæ Celebratissimo, Consiliario Saxonico Eminentissimo, Curiæ Provincialis & Scabinatus Assessore Gravissimo, Facultatis Juridicæ Seniore Meritissimo,
Dn. Doctore & Patrono suo piè devenerando,
Publicæ Eruditorum ventilationi subjicit
MARTINUS ALBERTI
GEITHENSIS MISNIC.
AUTOR.

Ad d. Septembr. A. M DC LXV.
Horâ Locoq; consuet.



JENÆ,
Literis SAMUELIS KREBSI.

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. SIGISMUNDO Horn/

JCto & Reipubl. Freiberg: Consuli gravissimo &c.

Domino Patrono ac Promotori meo piâ animi observantiâ aeternum venerando

Dissertationem hanc Academicam.

dedico

Autor.

Jova! Juva!

Procemium.

OPtime Reipublicæ consuli, si cuncta negotia civilia per Leges componantur, & non, nisi paucissima arbitrio Judicis discutienda relinquantur, eleganter ex *Lib. 3. polit. 15. & 16.* Aristot. demonstrat Magnif. Dn. Præses *Syntag. Jur. Civ. Exerc. 1. th. 4. & 5.* Lex quippe affectu & appetentiâ caret, proptereaque nullâ largitione flecti vel corrumpi: Judex verò e contrariò facilè largitionibus seductus, a jure ad injuriam traduci & deflecti potest. Nihilominus tamen, cum tam varia & latè exporrecta negotiorum civilium ac litium undiquè sit materies, ut omnia speciatim & sigillatim Legibus comprehendi ac definiri neqveant *l. 12. ff. de LL.* arbitrio Iudicis omninò qvædam relinqvenda fuerunt. Sed qvi in illis sopiendis ac pertractandis Judex, ne Justitiam justo auferendo, conscientiam suam violet, rectè procedere debeat, adeò expeditū non est, cum hinc inde sparsim de judicis officio in LL. Roman. agatur. Operæ igitur pretium me facturum putavi, si in præsentiarum pro ingenii mei minus politi viribus, qvædam de Judicis Officio, publico Eruditorum Examini subjicerem. A Te itaqve Deus Optime Maxime, ut suscepto huic labori clementi Spiritus S. Numine adesse velis, piis efflagito precibus! His exoratis, nunc ad rem ipsam me converto.

PARS

PARS PRIMA

DE

JUDICE.

CAP. I.

De Etymologiâ, Homonymiâ & Synonymiâ.

§. I.


Um non antè juris, quam personæ quærenda sit ratio *l. 14. pr. ff. de jur. Codicil. l. 4. ff qui test. fac. pos.* nobis de Officio Judicis dicturis, qvædam de Judice ipso præmittenda incumbunt. Et qvidem, ne in principio statim impingamus, & Philosophorum JCtorumqve monita despicere videamur; sed potius vestigiis eorum insistentes, ab origine vocis, qvippe à qvarum notitiâ sæpè provehimur in ipsius rei cognitionem, juxta Scalig *Exerc. 1. sect. 1.* initium sumemus.

§. 2. Judicis itaqve nomen qvod spectat, in deductione hujus variant Autores. Calvinus in Lex. Jur. à verbo græco *δικάζω* judico derivat, à qvo etiam *δίκην* & *δίκαιον* descendere dicit. Aliter ad nomen Judicis alludit Aristoteles, dum dicit *lib. 5. Ethic. 2.* appellari eos *δικαστὰς* à Græcis qvasi *διχαστὰς* à *δίχα*, qvia dividere, distribuere ex æqvo teneantur Judices unicuiqve suum. Varro *lib. 4. de ling. latin.* Judicem à dico ducit, qvod jus dicat acceptâ potestate, i. e. qvibusdam verbis dicendo finiat. Cui etiam adstipulamur: Nam reverà Judex dicitur qvasi jus dicens populo seu qvod jure disceptet. Jure a. disceptare, est justè judicare *c. forus 10. X. de V. S.* Bart. *in l. 1. pr. ff. de jur. omn. jud.* VVesenb. *paratit. ff de jud. n. 10.* Germanicè dicitur der Richter.

§. 3. Neqvè uno in Jure nostro Judicis nomen accipitur modo. Sumitur n. (1.) vel propriè vel impropriè. *Propriè*, pro eo, qvi judicando munus publicum subit: Nam judicandi munus publicum est *l. 78 ff de jud. l. ult. § judicandi. de mun & hon.* *Impropriè*, pro Arbitro, i. e. eo, qvi libero partium consensu litis decidendæ gratiâ electus, officium hoc suscepit *l. 1. ff. de recept. arb. l. 13.*

pr. §. 1.

pr. §. *1. C. de jud.* Magnif. Dn. *Præses in Syntag. Jur. Civil. Exerc. 8. th. 97.* Siquidem consensus privatorum judicem facere non potest *l. 3. C. de jurisd.* (2.) In propriâ significatione sumitur nonnunquam *generaliter*, tam pro Magistratibus, quam judicibus pedaneis *l. 1. ur. de jud. c. 1. C. de jurisd. omn. jud. tit. ff. & C. de reb. aut. jud. poss.* aliquando *specialiter* pro pedaneis judicibus tantum, prout in hâc acceptione passim, non minus oppositivè, quam absolutè positum invenitur in *l. 1. l. 3. de jurisd. l. 12. §. 1. l. 77. de jud. l. 15. l. 55. de re jud. l. 2. de R. J.* Interdum *specialissimè*, tunc nim. cum hæc duo judices arbitrive conjunguntur, uti in *§. 1. J. de act.* ubi per judices intelliguntur dati quidem à Magistratu, sed in stricti juris judiciis, certâ & limitatâ præscriptâ formulâ, quam non egrediuntur; per arbitros verò dati in bonæ fidei judicis aut etiam arbitrariis *l. 14. §. 4. quod met. caus.* formulâ non præscriptâ, aut si præscripta, non tamen ita strictâ, quin arbitrio ejus quid ex æquo & bono præstandum relinquatur. vid. Zœs. *comment. ad J. d. §. 1. de act.* & Dessel *in notis ad eund.* Vinn. §. 2. *J. de act.*

§. 4. Dicitur alias vir bonus *l. continuus 137. §. cum ita. ff. de V. O.* quò faciunt verba Lyrici *lib. 1. Epist. 16.* ita dicentis:

— — — — Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges juraq; servat:
Quo multa, magnaq; secantur judice lites:

Justitiæ antistes, animatum jus, Aristot. *lib. 5. Eth. c. 4. & 4. ad Eudem. 2.* lex animata. *Novell. 105. c. 2.* Minister Dei in terris *c. non solum & c. qui malos 24. q. 4.* quamdiu nimir. justitiam seqvitur & veritatem; unde cum facit injustitiam non est minister Dei, sed potius Diaboli, nec tunc dicitur Judex *c. justum 23. q. 2. & not. gl. in c. cum aterm in ver. Judex. de re jud.* Marant. *disp. 1. quæst. leg. n. 16*

CAPUT. II.
DE
Definitione Judicis.

§. 1.

PErspectâ vocabuli judicis verbali præcognitione, definitionem quoque nunc ejusdem, quæ juxta Everh. *in Top. loc. à defin.* vim & naturam rei ipsius demonstrat, adjungere convenit. I-

ta autem Eundem missis aliorum definitionibus in genere describere placet: Judex est persona publica, causas litigantium juxta modum suæ jurisdictionis definiens.

§. 2. Personam diximus, intelligentes non promiscuè omnes, sed eas tantum, quæ à laudabili hoc officio propter inhabilitatem aliquam non repelluntur. Nam non omnes ad munus judicandi suscipiendum habiles esse indubitati juris est. *vid. l. 12. §. 2. ff. de jud.* Quosdam enim à judicandi munere prohiberi deprehendimus I. NATURA, ob vitium quoddam vel *corporis* ut (1.) SURDUS, *d. l. 12. §. 2.* qui nihil prorsus vel difficulter exaudit, quamdiù eo morbo laborat, etiam in perpetuum, si surditas sit perpetua. Reyger. *disp. 1. process. jud. th. 29.* (2.) MUTUS, qui loquitur *ἀσήμως* sine significatione & articulatione quia judicio carent. *d. l. 12.* De cœco disceptatio est inter Dd. Magnif. Dn. Præsidis sententia nobis placet, statuentis, quod cœcus in causis ocularem inspectionem non reqvirentibus judex dari possit. *per l. 6. ff. de jud. vid.* Ejusd. *Syntag. Jur. Civ. Exerc. 6. th. 10.* vel *Animi* veluti (3.) FURIOSUS, qui continuâ alienatione est & intellectu caret Reyger. *d. l.* Hic enim quia nec aliud quicquam agere intelligitur, quippe cum per omnia & in omnibus absentis vel quiescentis loco *l. 2. ff. de jur. Codicill.* imò pro mortuo habetur Bald. *in l. 9. C. de impub. & aliis substit.* non immeritò officium judicis subeundum ipsi denegatur *d. l. 12.* (4.) IMPUBES *d. l. 12. §. 2. l. 2. ff. de R. J.* quoniam nullum est animi ejus judicium, ut ait Imperator *in §. præterea 1. Inst. quib. non est perm. fac. test.* Hinc puberem judicem constitui posse, nullum est dubium, modo ejus ætatis sit, ut hoc possit fungi officio, nempe non minor 18. annis, ut tradit Magnif. Dn. Præses. *d. Exerc.* quin & partium consensu judex dari potest *l. 57. de re jud. junct. l. 1. §. 3. de postul.*

§. 3. Prohibentur II. quidam LEGE (1.) SENATU MOTUS, propter turpitudinem *d. l. 12. §. 2. l. 2. ff. de senat.* nisi restitutus sit vel tempus condemnationis elapsum Reyger. *d. disp. 1. th. 30.* (2.) HÆRETICUS. *l. 4. l. 9. de hæret.* (3.) EXCOMMUNICATUS; Nam sententia lata ab excommunicato non valet. *cap. ad probandum 24. de sent. & re judic.* Ratio, quia pro non judicato habetur, quod judicatur ab eo, qui non potest de jure judicare *l. 5. C. quand. prov.*

non

nonest ueros. (4) BANNITUS, *gl. art.* 53. *lib. 1. vid.* Wesenb. *lib. 3. C. t. 4.* & quicunque qvavis ratione infamis. Perez. *in prælect. ad Cod. tit. de jud. n. 4.* Non enim decet judicem esse notatum, cum ejus officium adjunctum habeat honorem & dignitatem, à quâ arcentur infames. Vant *de nullitat. c. ex defect. Jurisdict. n. 44.* Perez. *d. l.* add. Treut. *vol 1. disp. 12. th. 7. lit. b.* Quanquam autem judex esse non possit infamis, arbiter tamen esse non prohibetur *c. infamis 3. q. 7. l. 7. pr. ff. de recept. arbit.* Petr. Term. *in process. c. 1.* Reyger. *d. l.* (5.) JURIS IMPERITUS *l. 14. vers. legum observatione C. de jud. Nov. 82. pr.* ubi peritiam juris in judicibus requirit Justinianus, nec aliunde eos vult emendicare judicandi honestatem uti ipse loquitur *d. Nov.* add. *Nov. 60. in fin.* Bronch. *cent. 1. assert. 43.* Ludwel. *Exerc. 17. § 9. lit. c.* Donell. *lib. 17. Comm. Jur. Civ. c. 24.* Neque enim ullus benè judicabit, si leges, quibus judicare debet ignorat, quo facit *gl. in c. fin. de re jud. & text. junct. gl. in c. 1. de consang. & affin.* Et ignorantia judicis calamitas est innocentis. August. *de civit. Dei lib. 19. c. 6.* Diss. Felin. *in cap. susitatus n. 8. X. de rescript.* Jason & alii Dd. in. *l. 17. C. de jud.*

§. 4. III. Quidam repelluntur MORIBUS ut: MULIERES & SERVI, non quidem, quia judicium non habent; sed quia receptum est, ne judiciis intersint & civilibus officiis fungantur *d. l. 12 ff. de jud. l. 6. l. 7. C. eod.* Si tamen fœminæ jurisdictionem habeant, sive jure hæreditario, sive consvetudine, sive lege municipali, judicare eos posse, tradit Perez. *d. l. n. 6. per c. 4. X. de arbitr.* add. Vultej. *d. c. 4. n. 130.* Non vero prohibetur judex esse pater in causa filii vel filius in causâ patris *l. 77. l. 78 ff. de judic. l. 6 de arbit.* si nimirum consensus litigantium intervenerit. Magnif. D. Præs. *d. Ex. §. 11. B.* Dn. Ungepauer *Exerc. 16. q. 4. Non obst. l. 10. ff. de jurisd.* neque ita simpliciter admittenda est *l. 6. pr. ff. de mun. & hon.* ex quâ, Pauperes quoque & eos, qui de suo victum sustinere non possunt à judicandi officio arcendos esse, probare volunt. Melius enim est inquerere, cujus existimationis, fidei & eruditionis sit Judex, quàm patrimonii. *arg. l. 5. pr. ff. de re milit. l. 11. §. 1. C. de advoc. divers. jud. l. 8 ff. de susp. tutor.* Reyger. *d. l.*

§. 5. Cæterum causas speciales, quæ Judicem inhabilem & suspectum reddunt, & ob quas, si justæ & graves, tàm ordina-

rius

rius quam delegatus recuſari poteſt, vid. apud Magnif. Dn. Præſid. *d. Exerc.* §. *11.* noſtri enim inſtituti non eſt, eas hîc recenſere, quin potius brevitatem amantes, nos conferimus ad

CAPUT III.

DE

Diviſione Judicis.

§. 1.

NOn occupati hîc ſumus circa illam judicis diſtinctionem quâ reſpectu perſonarum, quibus jus dicit, alius civilis eſt, alius militaris, *tt. 11. C. de offic. civil. et militar. judic.* ſed ratione cauſarum, de quibus judicat, eum conſiderantes, dicimus, quod ſit vel ordinarius vel Extraordinarius *l. 2. C. de dilat. l. 14. §. 4. C. de non num. pecun. l. 21. C. de appel.* Marant. *ſpec. aur. part. 4. diſt. 5.* Vultej. *lib. 1. Rom. Jurispr. c. 1. n. 4.* De ſingulis nonnulla videbimus.

§. 2. Ordinarius Judex olim non tàm ipſe Magiſtratus, quippe qui non niſi extra ordinem judicare ſolebat, Vultej. *lib. un. diſcept. c. 1.* Scip. Gent. *de jurisd. lib 2.* quàm ab eo datus, qui Pedaneus appellatur (ab eo, quod non pro tribunali; ſed loco inferiori, ubi Magiſtratus ſubſellia habet, judicabat vid. Zoeſ. *comment. ad. ff. de jud.*) dicendus videtur. Ludwel. *Exercit. 17. th. 9.* Hodiè verò, poſtqvam ipſi Magiſtratus judicare jubentur *l. 2. C. de ped. jud.* ordinarius Judex dicitur, qui propriam & perpetuam Jurisdictionem vel ſuo jure vel à lege, Principe, aut conſuetudine ſibi conceſſam habet *arg. l. 5. de jurisd. l. pen. de jud. l. 13. §. 1. l. 14. C. de jud.* Marant. *d. l.* Petr. Term. *in proceſſ. c. 1.* Quales ſunt Imperator, Reges, Electores, Duces, Principes, Comites; Et tales etiam eſſe Aſſeſſores Cameræ, indubitatè affirmant. Gail. *1. obs. 33. n. 1. & obs. 41. n. 5.* Spec. *lib. 1. part. 1. de off. ordin.* Bender. *tract. de revis. concl. 1. n. 35.* Schwanm. *obs. Cam. 3. n. 3. & obs. 15. n. 2.* O. C. *p. 3. tit.* von Reviſion *53. §. 1. & §.* darauff ſollen *x.* In foro Electoratus Saxonici, quinam ſint ordinarii Judices & quomodo dividantur vid. apud Magnif. Dn. Carpz. *tit. 2. Proc. jur. art. 2.*

§. 3. Extraordinarius Judex eſt, qvi non ſuo jure, nec Principis beneficio, nec univerſalem Jurisdictionem habet; ſed limitatam & Præſcriptam, cujus fines diligenter cuſtodire tenetur.

Schultz.

Schultz. *process. judic. part. 1. c. 4. n. 35.* Hicqve constituitur vel ex commissione Judicis ordinarii, vel ex voluntate & electione partium, adeoqvè iterum duplex. Mandatarius & Arbiter.

§. 4. Mandatarius, qvi Jure Canonico Delegatus *t. t. de off. jud. deleg.* vulgò Commissarius dicitur, est, cui ab ordinario demandata est jurisdictio *l. 12. § 1. de jud. l. 16. de jurisd.* isqve nihil proprii habet; sed vices delegantis sustinet. Magnif. D. Carpz. *d. t. art. 3. n. 19.* & propterea nec alium subdelegare potest. Emer. à Rosb. *in proc. tit. 5. n. 3. seqq.* Gail. *1. obs. 97.* nisi sit delegatus Principis *l 5. C de jud.* Gail. *d. o. n. 8.* Tales quoq; judices delegati sūt ii, qvos Imperator Maximilianus in Comitiis Wormat. An: 1495 Statibus Imperii, ut coram iis in primâ instantiâ conveniantur, concessit, vocati vulgò Austrâge/ vid. Theod. Reinking *de R. S. & E lib. 2. c. 2.* Theod. Sprenger *Jurispr. publ. p. m. 211.*

§. 5. Hæc de Mandatario: Nunc ad Arbitrum, qvi iterum in triplici est consideratione: Alius n. Arbiter compromissarius, alius Arbitrator, alius Arbiter Juris dicitur. Arbiter Compromissarius, German. ein willkürlicher Schiedes-Richter/ Niedersaß/ Obmann/ Vent. de Valent. *in parth. litig. lib. 2. c 4. n. 14.* est, qvi ex communi partium consensu eligitur, ut secundum modum inter ipsas conventum, aut in defectu hujus, juxta ordinem Judiciarium, finem controversiæ sententiâ suâ, qvæ laudum vocatur, Rosb. *tit. 6. n. 1 seq.* imponat, sub certæ alicujus pœnæ stipulatione, qvam pars à laudô recedens, præstare adversæ parti tenetur *l. 11. de recep. arb. N. 82. c. 11.* Chil. König *c. von dem Endscheider 5.* Carpz. *d. l. n. 46.* Et ab hujus sententiâ appellare non licet *l. 1. C. de rec. arb. l. 27 §. 2. ff. eod.* neque reductio ad arbitrium boni viri habet locum *d. l. 27. §. 2. verb. sive aequa sive iniqva ff de recept. arbitr.* Magnif. Dn. Præses. *d. Exerc. th. 104.* licet contrarium teneat praxis. vid. Perez. *in prælect. ad Cod. lib 2. tit 56. n. 15.* Posse tamen partem læsam exceptione doli uti, si probare possit, arbitrum sordibus, gratiâ, inimicitiâve ductum sententiam dixisse, statuit Magnif. Dn. Præs. *d. l. per l. 32 §. 14. de recept. arb. l. 3. C. eod.* add. Chil. König. *d. c. 5.*

§. 6. Arbitrator verò ein Schiedsmann/ gleicher oder gütiger Unterhändler dicitur, qui absqve pœnæ stipulatione à partibus ad litem & controversiam amicabiliter, sine formâ quâdam ju-

 dicii

dicii componendam est electus *l. 13. §. 1. ff. de recept. arbit. §. 1. Inst. de empt. vid.* Dn. Hahn. in *differt. select. de proces. jur. th. 8.* Schneidew. *§. omnium Inst. de action. n. 29.* à cuius arbitramento reductio ad arbitrium boni viri admittitur. Magnif. D. Præses *d. l.* Schneidew. *d. l. n. 31.* quæ etiam usquè ad 30. annos peti & obtineri potest. Bart. *ad l. 76. ff. pro soc. n. 1. seqq.* Marant *in spec. aur. part. 6. de appell. n. 267.*

§. 7. Arbiter denique juris est, qui ex necessitate & dispositione juris datur, quando judex ante litis contestationem tanquam suspectus recusatur. *l. apertissimi 16. & l. fin. C. de iud.* Schneidew. *ad d. §. n. 15.* Ab hujus quoque arbitrio, si in alterutram partem iniqvũ esse videbitur, perinde, ut à judicibus, appellare licet. *l. 9. qui satisd. cog.* Hahn. *d. differt. th. 8.* Damhaud. *c. 8. n. 5.* Wesenb. *parat. C. de recept. arb. n. 6.* Carpz. *d. l. n. 52.*

§. 8. Hæc de divisione Judicis. Quoniam autem notum est, quàm grave sit sub judice suspecto litigare per *text. in c. quia suspecti 3. q. 5. & c. cum inter. de except. l. 16. C. de jud.* hic de competentiâ Judicis aliquid dicendum foret, imò deberet; sed quia de officio Judicis principaliter differturi sumus, non de judice ipso, pauca hæc & levia de judice dicta nobis sufficiunt. Et propterea m. ad partem alteram hujus differtationis nunc accessum facimus.

PARS SECUNDA.

DE
OFFICIO JUDICIS

CAPUT I.
De Definitione & Divisione

§. 1.

CONsideravimus breviter personam Judicis. Nunc ad ejus officium, cujus delineandi gratiâ primariò differtationem hanc instituimus, discendere conveniens est. Antequam autem ad alia progrederemur, verbalis quædam officii tractatio instituenda esset: Verum cum non nescii sumus, hæc omnia Eruditorum orbi jam dudum innotuisse, meritò tacendo præterimus. Cui volupe est, hâc dere legere nonnulla, adire potest

Bichard.

Pichard. *Comm. ad Inst. tit. de. off. jud. & ibi alleg. Aut. & Lexicogr.*
Nos intereà progredimur ad rem ipsam.

§. 2. Est a. Officium Judicis Jus, qvod ad dirimendas lites tollendaqvè gravamina, qvomodolibet secundum æqvitatem exercetur, ut per hoc Reipub. ac civium tranqvillitati consulatur. Zas. *in l. 1. ff. de jurisd.* Bredcrod. *Inst. h. t.*

§. 3. Qvoniam v. sæpissimè in jure nostro Officii Judicis fit mentio, nec tamen semper eodem modo hoc verbum usurpatur, variæ hinc inde à Dd. traditæ sunt officii judicis distinctiones, quarum unam & qvidem communissimam hic attingere, necessarium duximus.

§. 4. Inter innumeras autem uti diximus Dd. divisiones illa communiter obtinuit, qvà dicitur officium judicis duplex esse NOBILE sc. & MERCENARIUM. Duplici namq; vià judex lites dirimere & gravamina tollere intendit, nobili sc. aut ordinaria, qvæ ad controversias judiciales pertinet. vid. Pich. *comment. ad Inst. de off. Jud. n. 6.*

§. 5 Nobile igitur officium Judicis est, qvod Judex suâ autoritate ac vi jurisdictionis exercet, idqùe aliqvando proprio motu, nemine exigente, & etiam, si nulla prorsus actio proponatur, uti plerumqùe fit in causis criminalibus, dum ob publicam utilitatem inqvirit & punit sceleratos *c. qvaliter 14. de accusat.* Ad ejus enim officium spectat, per se talia inqvirere *l. 13. ff. de off. Præsid.* qvia interest Reip. ne delicta maneant impunita *l. 51 ff. ad L. Aqvil.* Aliqvando v. ad partis implorationem: veluti cum alicui privatim id postulanti impertit, adversus eum, cum qvo stricto jure nullam habet actionem, sed solùm ex æquitate & de bono & æquo ei obstrictus est, ut in specie *l. 49. §. 1. ff de act. empt. & vend. it. in l. 13. ff. de minor.* quando minorem facilitate suâ lapsum in integrum restituit: Hinc etiàm humiliter & misericorditer id implorari videmus ex formulâ illâ, quæ in fine libelli semper adjici solet: Mit demütiger Anruffung des Hoch-Adel. Richterlichen Ampts darzu dienende. vid. Schneid. *§. 1. Inst. de act. n. 12.*

§. 6 Item exercetur officium Judicis nobile; si filius gravatus à patre impio & negante id, qvod jure naturæ debetur. Schneidew. *d. l. n. 10.* Is enim qvia nullam habet actionem *l. 4. ff.*

 de

de jud. rectè confugit ad nobile Judicis Officium *l. f. & t. t. C. de alend. lib.* Sic Advocatus & Medicus, qvi per ſtipulationem ſibi non proſpexit de ſalario, nullam aliam habet viam, qvam ut confugiat ad Judicem, eſtqve ratio, qvia hujuſmodi profeſſiones ob excellentiam non habent actionem locati, ſicut aliæ locatorum operæ *l. 1. §. 1. ff. de extraord. cogn.* Et generaliter, qvotiescunqve qvis petit à Magiſtratu qvicqvam, in qvô perſonæ alterius non habetur reſpectus aut conſideratio, toties cenſetur Nobile Judicis Officium *t. t. C. de prec. Imperat. offer.* vid. Pich. *d. l. n. 7.* Deſſel *in addit. ad Zœſ. Comment. ad Inſt. de Offic. Jud. n. 2.*

§. 7. Mercenarium verò Judicis officium eſt, quod actioni formaliter in judicium deductæ inſervit. Bart. *in l. 1. n. 11. de jurisd. l. 25. ff. §. 8. de ædil. edict. l. 4. §. 1. ff. de eo quod cert. loc.* unde etiam mercenarium dictum eſt, non quod judex qvaſi mercede qvâdam conductus, uti quidem ſyllabarum aucupatores autumant, judicet vid. Frantz. *pr. Inſt. de off. Jud. n. 14.*

§. 8. Et hoc officium plerumque in omnibus actionibus obſervatur, iisque variis modis deſervit. Quandoque enim verſatur circa judicium præparandum, in decernendis citationibus, recipiendis aut repudiandis libellis *l. 1. ff. de offic. aſſeſſ.* dandis dilationibus & moderandis *l. 7. ff. de fer. & dilat. l. 4. C. de dilat.* & in omnibus, quæ fiunt ante litem conteſtatam.

§. 9. Præterea aliquando occupatum eſt circa cauſam cognoſcendam, in audiendis reſponſalibus *l. 1. C. de lit. conteſt.* probationibus admittendis & examinandis teſtibus, & omnibus aliis poſt litem conteſtatam occurrentibus usque ad ſententiam definitivam: Nam quando actio judicio proponitur & judicium cœptum eſt, quicquid judex præcipit, prohibet & interloquitur, dicitur expediri officio judicis mercenario *d. l. 25. §. 8. ff. de ædil. edict.*

§. 10. Tandem causâ ſic cognitâ officium hoc mercenarium deſervit cauſæ propoſitæ per ſententiam definiendæ, (prout latius de his omnibus infra in cap. 3. & 4. agemus) Omnes quippe ſententiæ, tàm ſuper re principali, quàm ſuper uſuris, fructibus, damnis, litis ſumtibus, àliisque acceſſionibus officio judicis mercenario pronunciantur. *l. 74. ff. de jud. l. 49. §. ult. de act. empt.*

impt. & vend. Dicta autem semel sententia cessant partes judicis & succedunt Magistratus. *l. 55. de re jud.*

§.11. Unde rectè ex veriorum Interpretum opinione officium hoc ad sententiæ executionem, quæ propriè ad nobile judicis officium spectat, ut docet Bart. *in l 4. n. 12. ff. de jurid.* non extenditur: Siquidem, uti diximus, officium hoc simul atque judex sententiam protulit extinguitur, illudque est, quod vulgò jactitatur; Judex postquam sententiam tulit, sive benè, sive malè, officio suo functus est *d. l. 55. ff. de re jud.* Et hujusmodi officium ferè exercet judex pro tribunali sedens *l. 12. & 3. ff. de re jud.* vid. Dessel. *d. l.*

§.12. An autem divisio hæc juri nostro et LL. sit consentanea, non immeritò hic quæritur? Dd. plerumqve negare solent, dicentes, quod tantummodo officium judicis & Magistratus à se invicem separatum in LL. inveniatur, teste Bartolo & Giphan. *ad princip. Instit. de offic. jud.* Et sunt quidam nimium curiosi, qui distinctionem hanc tanqvam nugas & veteris ægroti somnia continentem planè rejiciunt, Baro Giph. & Coras. *7. miscell. c. 9.* Verùm, licet κατὰ ῥητὸν in jure non reperiatur, tamen ob rei conditionem & facilitatem docendi meritò retinenda est, vid. Bach. *comm. de pact. sub tit. de divis. pact.* (ubi nimis delicatas ait esse aures, quæ verba docendi gratiâ reperta ferre non possunt.) Et sanè si rem paulò penitius inspiciamus, nihil aliud nisi verbalis quædam inconcinnitas ex hâc divisione apparet, cum re ipsâ optimè cum LL. conveniat. Nam quod in LL. & præprimis in *l. 1. ff. de jurisd.* ad officium jus dicentis pertinere dicitur, Pragmatici referunt ad officium judicis nobile, quod ibi per judicis officium indigitatur; id interpretes officio mercenario tribuunt. Vinn. *princ. instit. de offic. jud.*

§.13. Hodiè, postquam ipsi Magistratus judicant, tanto magis conspicua esse potest hæc differentia, cum antè officium judicum pedaneorum, qui non, nisi ubi certa actio suppetebat dabantur, merè esset mercenarium; Prætorum verò qui non judicabant, nobile. Franz. *princ. Institut. de offic. jud. n. 17.*

CAPUT II.

De Causâ offic. Jud. Efficiente

§ 1. Causam officii Judicis ponimus duplicem, Remotam &

propinqvam. Remotam dicimus esse eum, penes quem est τὸ κῦρος sive summa in Imperio potestas: Et quidem vel GENERALITER, uti in Imperio nostro Imperator. Is enim sine controversiâ omnium in Imperio est superior, & tanquam fons, à qvo omnes dignitates, omnia officia & gradus profluunt, uti dicit Ang. *in rubr. ff. de jur. omn. jud.* Baldus *in c. 1. pr. quis dicatur Dux Comes vel Marchio* Joh. Andr. *in addit. ad Spec. lib. de jurisd. om. jud.* Theod. Reinkingk *de R. S. & E. lib. 1. cl. 5. c. 6. n. 61.* ut propterea non immeritò ille solus immediatè Deo acceptam ferat potestatem ac jurisdictionem suam *l. 1. C. de summ. Trin. l. 1. C. de vet. jur. enucl. l. ult. C. de praescr. long. temp.* vel SPECIALITER; veluti qvilibet Status ratione territorii sui. Nam & hi juxta vulgatum & tritum non minus possunt in suis territoriis, quam Imperator in universo Bart *in l. 14. ff. de pub. jud.* Alexand. *cons 2. n. 9. vol. 1.* Marant. *disp. 6. n. 14.* Quin etiam de magistratibus municipalibus ratione municipii hoc praedicari potest. *arg. l. omnes populi ff. de just. & jur l. 1. C. de sum. Trin. & fid. Cath.* Zas *cons 1. n. 44. lib. 2.*

§. 3. Propinqva est Jurisdictio *l. 1. ff. de Jurisd.* siqvidem absque eâ judex verè talis esse, nemo potest; Nam cum uti diximus cap. praeced. judicis officium maximoperè versetur circa citationes decernendas, causas cognoscendas, sententias ferendas, aliosque actus in judicio occurrentes; hi verò ad actus jurisdictionales pertineant. *l. 2. ff. de in jus vocand. l. 1. & 2. C. eod.* Wesenb. *cons. 95. n. 25.* necessariò omnino in Judice, qvo ejusmodi actus exercere possit, requiritur Jurisdictio, alias elusorium redderetur judicium, (quod esse non debere, ex *l. ne in arbitris C. de rec. arbitr. l. si praetor ff. de jud.* patet): siquidem fundamento Jurisdictionis sublato, quicquid superstruitur, corruit. *text. l. egi tecum ff. de exc. rei jud.* Nec qvoque judicatum dici potest ab eo, qui Jurisdictionem non habet. *text. l. 2. §. fin. ff. de poen. & l. 1. §. 2. ibi: si quis jus dixerit, inter quos Jurisd. non habuit pro nullo hoc habetur, nec est ulla sententia.* Bald. *in l. si ut proponis n. 4. C. qvom. & qvand. judex* Non entis enim nullae sunt qvalitates *text. l. 41. vers. quod si stipulatus ff. si cert. pet. & in l. servum 4. ff. de act. empt. & vend.*

§. 4. Quaenam autem hic intelligatur Jurisdictio, non incommodè quaeritur? Notum enim est, Jurisdictionis voculam va-

tiè in jure nostro sumi, ita, ut modo comprehendat sub se merum mixtumve Imperium, modo denotet Jurisdictionem simplicem, prout tradit Wesenb. *in parat. ff. de jurisd.* Treutl. *vol. 1. D. 3. θ. 1. lit. b.* Frantz. *comment. ad. ff. de jurud. n. 3.* Arum. *Disp. 2 θ. 1.* Quod tamen negant & variis argumentis contrarium defendere annituntur. D. Hahn. *comment. ad* Wesenb. *d. t. n. 2. verb. id proprie muneris* Sutholt. *differt. de jurisd. aph. 115. seqq. & alii* Qvam litem, utpote parum hodie, postquam notissima totius ferè Germaniæ consvetudine species illæ penitus in abusum transiêre, utilitatis habentem, teste Carpz. *process Jur. tit. 2. art. 1. n. 56.* missam facimus, nulli dubitantes, qvin Jurisdictio hodienum tàm de criminalibus quàm civilibus dicatur, atque merum mixtumve Imperium complectatur, uti dd. loc. ipsi inter se dissentientes fatentur. Cum verò nec hodie jurisdictio in suo genere permansit, sed tot ferè ubique ejus reperiuntur species, ut non sine summâ difficultate distingvi explicarive singulæ queant. Carpz. *alleg. l. n. 9.* ideoque certum quid in hâc quæstione determinari non posse; sed pro diversitate Judicum, animumque & voluntatem ipsos constituentium ipsorum qvoqve potestatem & Jurisdictionem considerandam esse, afferimus. Nam non omnibus eadem est potestas, sed alii inferiorem, alii superiorem Jurisdictionem vel in totum vel pro parte possident, de quâ re vid. Alexand. *cons. 65. n. 19. lib. 2.* Magnif. Dn. Præs. *Exer. 4. θ 57.* Aliam hîc subnectere possumus quæstionem, an nimirum officium judicis & Jurisdictio sint idem; Item, an actio & officium Judicis pro uno eodemque habeantur? In qvibus qvæstionibus brevitatis causâ B. L. remittimus ad Bart. *comm. in l. 1. ff. de jurisd. omn. jud. n. 9. & 10.* Ubi distingvendo has ipsas diligenter resolvit.

§. 5. De causâ efficiente hæc fuerant; sequitur alia, Materialis videl. circa qvam neminem latere volumus, nos ipsum ordinem, quem judex in judicando seqni obstrictus est, & de quo cap. sequenti copiosè agemus, ad formam Officii Judicis referre. His præsuppositis, sistimus

CAP-

CAPUT. III.
DE
Materiâ circa quam f. Objecto.

§. 1.

POstqvam cap. praeced. vidimus causam Officii Judicis efficientem, Jurisdictionem videl. quae est potestas, de causis sive civilibus s. criminalibus judicandi & judicata exeqvendi. Scot. *in Exam. Jurid part. Pandect. 1. p. m. 79.* Objectum nunc ejusdem considerandum, ratio institutae methodi nobis proponit.

§. 2. Constituunt autem hoc causae tàm civiles, quàm criminales. *l. 1. §. pen. de calum. l. 6. §. 8. l. 10. ff. de off. Praesid.* etiam minimae §. *16. Inst. de. R. D. ubi gl. verb. qui lucrandi &c.* nam ob rem minimam qvoqve ordinariae actiones dantur *l. 22. ff. de damn. inf. l. 1. §. 10. ff de conj. cum emanc. lib.* (licet civiliter solum *c. pen. c. ult. c. 14. q. ult.* non etiam criminaliter; sicut ob minimum furtum hodiernis moribus non est criminale Judicium *l. 4 ff. de in integr. rest. l. 9. §. ult. & seqq. ff. de dol. mal.*) modo in Judicium sint deductae; siqvidem de re in Juditium non deductâ Judex decernere non potest, neque super eâ, quae Judicio comprehensa non est, sententiam proferre. *l. edita C. de edend.* Pich. *manud. ad. praxin. part. 1. praecept. 2. n. 1.*

§. 3. Ut verò eò melius cognosci possit qualis causa in judicium deducta sit, an civilis, an criminalis, sciendum, qvod causa civilis dicatur ea, qvando in Judicio principaliter agitur ad commodum privatum, sive talis causa descendat ex contractu, sive ex delicto. Criminalis verò, quando principaliter agitur ad commodum publicum, ex delicto tamen sive ad publicam vindictam Robert. Marant. *Spec. aur. part. 4. dist. 1. n. 2.*

§. 4. Et quemadmodum non uno modo causae in judicium deducuntur: aliâ enim viâ in civilibus, aliâ in criminalibus ad judicium pervenitur; ita qvoque Officium Judicis diversimodè circa istas occupatum esse ex seqventibus patebit.

MEMBRUM. I.

§. 5. Ratione itaqve civilium, prout eae per actionem legitimam, sine quâ neminem experiri posse ex *l. 6. § 12. ff. de neg. gest*

geft. l. 20. C. eod. notum eſt, regulariter in judicium deductæ, ſecundum juris & judicii ordinem ſolenniter & ordinariè tractandæ *c. 11. de probat.* Marant. *part. 4. diſt. 9. n. 1.* primò omnium officium judicis verſatur in emittendâ citatione. Hæc enim cum ſit omnium inſtituendarum actionum principium, & fundamentum judicii *§. fin. J. de pœn. tem. litig. d. c. quoniam X. de probat.* quodniſi anteponatur, quàm ad alios actus judiciarios procedatur, fruſtra eſt, quicquid poſteà ſuperſtruitur *d. c. X de probat. c. paſtoral. X. de rejud* quin & ad eſſentiam proceſſus ſive ordinis judiciarii pertineat. Gail. *1 obs. 48. n. 2.* ideò nec in notoriis omitti à judice debet Bach. *diſp. 4. th. 8.* nec regulariter Princeps de plenitudine poteſtatis eam præterire poteſt. Bach *d. l.*

§. 6. Obſervare a. Judex debet in eâ, tàm quoad ejus conceptionem, ut exprimat nomen, tùm ſuum *arg. l. 80. de jud.* tùm partium litigantium Frid. Hiltrop. *proces Jud. p. 1. t. 1. n. 1. ſeqq.* cauſas item citationis *c. 2. X. de dilat.* Myns. *5. obs. 35.* nec non locum & diem opportunum Gail. *1. obs. 52* tàm quoad executionem; ut poſt ejus commiſſionem debito tempore & loco inſinuetur Gail. *1. obs. 54.* ipſique à nuncio relatio fiat Bart. *l. 15. §. 16. n. 19. de damn inf. & in l. 21. de condit. & demonſt. n. 41.* Quæ ſi omnia ritè & decenter obſervata, præſcriptionem interrumpit *l. 7. C. de præſcript. long. temp.* & inducit litis pendentiam; præventionem tùm reſpectu Judicis vid. Magnif. Dn. Præs. *Exerc. 5. th. 13. & Exerc. 46. th. 5.* tàm litigatorum die Vorklage / ſi nempe partes invicem mutuas petitiones habent Dn. Hahn. *diſp. ſelect. alt. de proceſſ. jud. th. 32.*

§. 7. Non verò Judex citationem ſive in jus vocationem decernere debet proprio motu; ſed ad partis inſtantiam & poſtulationem. Nam extra eam in cauſis privatis judex neminem citare debet *c. ſignificaſti verb. petitionem de foro comp. l. 61. de jud.* cum officium ſuum niſi imploratus impertiri non debet *l. 4. §. 8.* ſecus in publicis *c. qualiter 2. de accuſ.* Weſenb. *parat ff. de in jus voc. n. 13.* Hinc ejus querela Judici pro tribunali ſedenti expoſita præſupponitur, ſive ea per libellum ipſum; ſive per ſupplicationem, eamque vel in ſcriptis durch das Rechtliche loß bitten vel o-

retenus durch das mündliche suppliciren facta sit. Utrovis n. modo, cum ad informandum judicem pertineat, fieri posse constat; licet de jure & styloCameræ scriptura requiratur. O.C. *p.1.tit.21.§.4.ibi.* sollen sie alles in Schrifften 2c. quod in curiis quoq; & judiciis provincialibus passim cumprobatum tradit Dn. Hahn *d. D.θ. 16.*

§. 8. Et quoniam variæ citationum sunt species, inter qvas & alia verbalis alia realis invenitur, ideoque diligenter judex secernere debet causas, an nimirum civiles sint, an criminales: Si enim in civilibus versatur, regulariter ad hibere debet verbalem, quæ vivâ voce fit aut literis *Nov. 112. c. 3.* Si verò in criminalibus illa locum habet, quâ ipsa persona capitur realisque dicitur: Nam in criminalibus ab executione initium fieri, autumat Salicet *in l. eos C. de furt.* sciendum tamen, qvod qvandoque, licet raro etiam in civilibus reali citatione uti possit Judex, si scil. de fugâ suspectus sit reus, aut comparere nolit. vid. Magnif. Dn. *Præs. d. Exer. 5. th 12.* Cœterum, quid ulterius circa citationes observandum sit, latissimè explicat Marant. *part. 6. de citat* qui videri potest.

§. 9. Parte adversâ sic legitimè citatâ, comparente, legitimus Judiciorum ordo postulat, ut Judici & parti libellus offeratur juxta *auth. offeratur. C. de lit. contest.* si nimirum per supplicationem processus petitio facta; quod si ab initio statim libellus pro impetrandâ citatione oblatus sit, is in termino reproducendus est, ejusdemque tenor parti adversæ datur. Vultej. *2. Jurispr. 29.* Treutl. *1. D. 4. θ. 10.* Debet autem iste perspicuus esse & clarus, ut deliberare possit ex eo reus, an cedere velit, an contendere *l. 1. pr. ff. de edend. d. auth. offeratur. C. de lit. cont.* Bart. *in l. 6. ff. de rei vind n. 2.*

§. 10. Quoniam verò notum est, non omnes Judicio se sistere posse, nec qui facultatem se sistendi habent, personaliter semper; sed freqventius procuratore constituto in Judicio comparere solere; propterea maximè circa hæc officium judicis in eo versari debet, ut inspiciat, an legitimam personam standi in judicio comparentes habeant. Nam certissimi juris est, in Judicio ordinando & constituendo primam inspectionem esse debere de personis earumque legitimatione & qvalitate, & si personæ litigaturæ

gaturæ legitimam ſtandi in judicio perſonam non habeant, vel alio nomine experiantur, neque tamen mandatum exhibeant, ad ulteriora & ad ipſa cauſæ merita nullo modo procedi poſſe, & ſecus ſi fiat, proceſſum prorſus vitioſum, inanem & nullum fieri *l. 24. C. de procur. l. 1. ſeq. C. qui leg. ſtand. in jud. perſon. l. 1. & 2. ff. de procurat.* Bart, *in l. 4. ff. de teſt.* usque adeo, ut etiamſi à parte nominatim non opponatur, aliunde tamen appareat, litigatores defectu ejusmodi eſſe affectos, proceſſus ipſo jure ſit nullus. Pichard. *manud. ad prax. precept 1. n. 1.* Poterit itaque Judex ejusmodi perſonam, facultatem ſtandi in judicio non habentem, aut procuratorem ſine mandato ſufficienti comparentem, jure meritoque repellere, prout tradit Pichard. *alleg. l. & ibi cit. Dd.*

§. 11. Sive autem perſonaliter ſive per procuratores legitimè conſtitutos compareant litigantes, boni judicis officium eſt, iis, antequam litigii telam ingrediantur, conſulere, omnemque lapidem movere, ut ad amicabilem compoſitionem diſponantur, ne judicio contendentes prolixis proceſſibus ſeſe implicent ſumptibusque inanibus ſe exhauriant; ſed ut ex æquo & bono atque cum bonâ gratiâ res amicè componatur. Reipublicæ enim intereſt, ſubditos habere locupletes & pacificos. Id quod etiam Imperatori noſtro cordi fuiſſe apparet ex proem. Inſt. huc que referri poteſt, quod habet Receſſus Imper. Ratisb. *de an. 1644.* §. zweytens ſoll der Richter erſter instanz die Parteyen / in zweyffelhafften Sachen / nicht allein vor angefangenē Rechtsſtand / und litis conteſtation, ſondern auch in quacunque judicii parte, durch alle dienliche Mittel und Wege / auch ſchiedliche Erinnerungen in güte voneinander zuerſetzen / und hindurch alle weitleufftige Koſtſpalzige Rechtsfertigung zuverhüten ſich befleiſſigen. Et laudabilem hunc morem in omnibus ferè Europæ Provinciis hactenus obtinuiſſe, diverſi teſtantur Dd. ſicuti etiam de Electoratu Saxoniæ habetur in ordin. proceſſ. Judic *tit. 1.* beſonders aber ꝛc. & §. Dieweil ſich aber ꝛc.

§. 12. Quod ſi litigantes adhortationibus ejusdem locum relinqvant, & altero alteri cedente in concordiam redeant, ſalva res erit, & habebit judex, quod deſideravit, nec ullæ ulterius partes ejus erunt. *l. un. C. de confes* ſed ſtatim condem-

natio seqvetur Pich. *manud. ad praxin part. 1. praecp. 3. n. 1.* si verò spretis his insuperque habitis, usque adeo cervicosa sit utraqve litigantium pars, ut neuter alteri cedere, sed uterque contendere malit, qvam lite supersedere, sanè, qvia in civilibus regulariter ad concordiam vel ad compromittendum litigatores compelli neqveant. *Nov. 124. c. 4.* licet secus sit in criminalibus, de quibus vid. Gail. *lib. 2. de P. P. c. 19. n. 8.* fores judicii patere debent & judex justitiam ipsis administrare, si modo pœnam ab Imperatore Justiniano in eum, qvi per gratiam aut sordes causam cognoscendam suscipere, aut susceptam definire nolit, statutam, evitare velit, non denegabit; sed operam debitam ipsis præstare allaborabit; alias secus faciens, literis promotorialibus à superiore ad id compelli poterit, uti statutum est in Imperio per d. R. I. Ratisb. de anno 1654. §. Demnach auch klagen vorkommen. rc.

§. 13. Tum autem operam suam dare litigantibus dicitur judex, cum judicialiter, & servato juris ordine causam in libello propositam cognoscere suscipit. Rittersh. *pr. Inst. de off. jud.* Cum enim præcipuum Judicis officium sit, curare, ut lites minuantur, breviterque decidantur *l. 13. C. de jud.* quippe cum & partium litigantium & Reipubl. intersit, processum abbreviari, litesque subito finiri, *l. 2 de re jud. l. 10. C. de transact.* id verò sine causæ cognitione fieri non posse ex eo pateat, quod Judex procedens absque causæ cognitione in præjudicium alterius, fines officii sui excedat, & pro privato habeatur, adeo, ut impunè ei non pareatur, & licitè resisti possit. *l. 5. C. de jur. fisc. c. conquerente de rest. spol.* Gail. *2. obs. 75.* Magnif. Dn. Præs. *Exerc. 42. th. 23.* Quin & naturali juri sive rationi conveniat, ut prius cognoscat id super quo judicare debet judex; Et propterea dici consvevit, qvod causæ cognitio à jure divino descendat, ut inqvit Abbas *in c. n. de caus. pos.* Ideoque eam tanqvam corpus & substantiam judicii, à judice minimè prætermittendam, sed potissimam officii ejus partem circa hanc occupatam esse, nulli non liqvere, putamus.

§. 14. Proinde Judex factâ litis contestatione, per qvam ipsi potestas fit de causâ cognoscendi & judicandi *Nov. 53 c 4.*

Vinn.

Vinnpr. *Inst. de off. Jud.* exactam habere debet causæ cognitionis rationem, quæ in eo consistit, ut omnes partes Judicii ordine fieri vet. *L. 1. L. 8. C. de executione jud.* neutri litigantium jus suum claudat aut coarctet *l. 10. §. 1. ubi gl. & Dd. ff. de edend.* sed utriusque partis allegationes æqvè sine affectu audiat, probationes expendat, nihilque statuat, parte alterutrâ inauditâ. Perez. *prælect. C. tit. de jud. n. 10.* neque id perfunctoriè, aut summariter, uti plerumque fieri solet, faciat Myns. *3. obs. 70. & 6. ob. 16.* sed cuncta & singula causæ acta diligenter & maturè rimetur & excutiat *c. judicante 11. c. 30. q. 5.* cum præcipitata ejus voluntas sæpè sit Justitiæ noverca. *clement. past. §. verùm de re jud.* Præterea plenam & justam inquisitionem adhibeat, i. e. nihil eorum, quæ ad intentionem suam firmandam proponit actor, quæq; defensionem rei spectant, judiciiq; natura non repudiat, prætermittat, quin audiat cognoscatque *l. 9. C. de jud.* vid. Andl. *Medul. Juris Justin. tit. de off. jud.* Et tandem utramque partem sæpius interroget, nunquid novi addere desideret. *d. l. 9. C. d. jud.* quod si nihil in quæstione habeant ulterius litigantes, quod proponant, & causam sic Judex exactè cognoverit, Judiciorum tandem ordo exigit, ut finem sententiâ suâ litibus imponat. Ad cujus tractationem antequam hinc abeamus, ex ratione institutæ methodi de causis etiam criminalibus breviter quædam nobis dicenda erunt.

Membrum 2

§. 15. Quoniam autem non minus Reipub. interest, justo ac debito modo in criminalibus procedi, litesque expediri, ac ipsa crimina puniri *l. 51. ff. ad L. Aquil.* Ventur. de Valent *in partb. litig. lib 1. c. 15. n. 2.* ante omnia Judici observandum, ut modum atque ordinem in his procedendi à legibus præscriptum ac usu receptum debito quo par est studio ac industriâ observet. Carpz. *prax. crim part 3. q 103 n. 5.* Ordine siqvidem omnia reguntur, geruntur & observantur. Wahrem. ab Ehrenberg. *lib. 1. de fæd. c. 1. n. 140.* Hunc autem quo debitè observare queat, sciendum imprimis, qvotupliciter in causis criminalibus procedatur Et: dicendum, quod duplici tantum in iis procedatur modo: Nimir. per viam accusationis & Inquisitionis. Non tripli-

triplicitef, uti multi Dd. sentiunt, inter qvos est Pich. *manud. ad praxin sæpius citatâ part. 3. præcept. 9. §. 2. n. 1.* Nam qvod illi tertium nostris duobus adjiciunt modum, denunciationé videlicet, revera singularis modus non est; sed ad inquisitionem pertinet. Denunciatio enim nihil aliud operatur, nisi qvod succedat locq diffamationis vel querelæ, & sic viam aperiat Judici ad inqvirendum ex officio contra aliqvem, qvod alias de jure facere non posset absqve denunciatione, aliisqve indiciis præcedentibus, uti statuit Jul. Clar. *lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 7. n. 1.* Hinc qvoque duplex tantum in criminalibus datur processus, ordinarius & inqvisitorius: qvorum ille dicitur, qvando adversus reum propter delictum commissum secundum ordinem ac formam juris procedıtur, & omnia, qvæ ad substantiam processus pertinent, aguntur & observantur de qvo vid. Magnif. Dn. Carpz. *d. l. n. 17.* qvem propterea, qvia eodem ferè modo iisdemqve solennibus exercetur, atqve in civilibus causis, paucis exceptis, in qvibus differentia intercedit, Carpz. *q. 104. n. 5.* ne bis cocta imponamus, tacendo merito præterimus; Inqvisitorium tantum hâc vice breviter introspicientes, & qvomodo se gerere debeat judex circa hunc & in qvonam ejusdem consistat officium paucissimis pertractantes.

§. 16. Dicitur verò processus inqvisitorius ille, qvando judex nullo accusatore existente ex officio in reum & qualitatem delicti commissi inqvirit. Magnif. Dn. Præses *Exerc. 49. θ. 8.* Et circa hunc præprimis sciendum judici, qvod nunquam procedere debeat ad aliquem actum, nisi prius constet illi, delictum ipsum fuisse commissum. *l. 1. §. 24. ad Sctum Syllan.* adeò ut asserenti, se delictum qvoddam perpetrasse non credatur, nisi etiam aliter de delicto appareat. Marant. *part. 6. de inquis. n. 18.* quæ tamen assertio in iis tantum locum invenire potest delictis, quæ aliqvod post se relinqvunt vestigium, secus in aliis, vid. Fachin. *2. contr. 28.* Nam non tantum stricto jure communi ejusmodi inqvisitio, ubi de crimine certo inqviritur, & tamen crimen esse commissum, nescitur, prohibetur; sed etiam naturæ prorsus contraria est, quæ vel in humanissimo cuique dictitat, ne faciat alteri, qvod sibi fieri non velit. Cothm. *vol. 1. Respons. Jur. resp. 7. n. 8.*

9. n. 5. Debet itaque ipsi constare de delicto, sive per querelam sive denunciationem; qvin imo habitâ qverelâ vel denunciatione tenetur procedere & inqvirere, alias puniri potest ex dispositione juris, juxta Clar. *d. quaest. 4 n. 2.*

§. 17. Qvod si ipsi legitimè de delicto constat, super hoc statim inqvirere debet, ut qvamprimum scire possit, qvis delictum ipsum commiserit, ubi celeritatem & diligentiam maximè adhibeat Judex; ne propter moram ipsius, aut reus ipse fugâ sibi consulat, aut ejus amici testes de delicto ipso informatos à veritate abducendi occasionem nanciscantur. Caveat tamen inter alia qvoqve judex, ne, sive de jure communi sive statutario sive ex consvetudine potestatem procedendi habeat, à se ipso ad inqvirendum aut assumendas informationes vel indicia specialiter contra aliquem procedat, nisi vel diffamatio vel querela partis vel denunciatio vel hujusmodi aliud, qvod viam inqvisitionis aperiat, procedat; aliter processus erit jure nullus, etiamsi deinde plene probatum fuerit delictum, Clar. *quaest. 5. n. 4.* Nihil enim magis natura, Jus gentium, civile & imperiale requirit, qvam ut Judex vel famâ à viris fide dignis ortum habente, vel aliis indiciis & argumentis religionem suam instituat, & tum ad inqvirendum descendat. *l. 1. §. idem Cornel. & §. Divus Sever. l. ex libero §. 1. de quaest. Spec. de inquisit. §. 1. n. 11.* Cothm. *d. l. n 19.* neque unum indicium vel fama semel sparsa sufficit sed plura indicia reqviruntur, famamq; saepius sparsam esse necesse est, usque adeò, ut scandalum generet, & sine periculo amplius conniveri non possit. Marant. *de inquis. n. 19.* prout etiam hoc inter coetra inqvisitionis reqvisita de Jure Saxonico requirit Carpz. *prax. crim. q. 107. n. 29.* Quomodo verò fama probetur & quot testes sufficiant vid. ap. Clar. *quaest. 6.* add. Treutl. 2. *D. 31. th. 2. l. c. ibig,* Bach.

§. 18. His ita ante inquisitionem observatis, & si constet de delicto, judex recipere debet informationes & indicia contra delinqventem, qvi si incertus est, generaliter contra eum procedet; si vero certus est, inqvirendo seu assumendo indicia specialiter procedere potest. Qvaenam autem indicia in genere sufficientia sint ad inqvisitionem & qvot reqvirantur, certâ regulâ comprehendi minimè potest; sed totum relinqvitur arbitrio Judicis,

qvi

qvi secundum qualitatem personæ & delicti indicium sufficiens esse vel non, judicabit. Clar. *quæst 20. n. 1.* Cœterum in assumendis indiciis seu informationibus cautè agat judex, ne omnes passim ad testificandum admittat; siqvidem multi sunt qvi à testimonio dicendo repelluntur, de quibus vid. Clar. *lib. 5. sentent. §. test.* Et licet ibi de causis civilibus agat, notum tamen est, qvod, qvi repellitur in civilibus à testificando, multo magis repellatur in criminalibus, ubi probationes requiruntur luce meridianâ clariores. *l. sciant cunct C. d. probat.*

§. 19. Factis informationibus & indiciis assumptis diligenter considerandum est judici, qvid ex iis contra resultat, an deveniendum sit ad decretum capturæ contra reum: In qvo tria præcipuè animadvertere debet, ne injustè aliqvem detineri faciens, teneatur in Syndicatu. (1) ut delictum de qvo agitur, sit tale, pro qvo irrogatur pœna corporalis, (nisi persona sit vagabunda, aut dubium sit, quæ pœna infligenda Carpz. *5 q. 111 n. 5*) Alias enim reus ad carcerem conducendus non est (2) ut indicia sint sufficientia ad capturam. Clar. *q. 30.* id qvod etiam expressè cautum est in Const. Carol. criminal. *artic. 6.* so jemand rc. & *artic. 218. ibi:* Item das durch die Obrigkeit etwa leichtlich rc. (3) ne fortè persona, contra qvam captura decernitur sit talis, qvæ ex privilegio detineri non possit. Ubi autem capturæ locus non est, ad ulteriora Judex contra reum procedere debet, & si absens est, post citationem (hanc enim omninò reqviri, & nec à Principe omitti posse, præcedenti membro dictũ est, sive de delicto legitimis probationibus convictus sit, sive non, eum contumacem condemnare potest Clar. *quæst. 44. n. 1.* Sicuti etiam nostris moribus absentes inqvisiti & non comparentes post citationem condemnantur in die Acht *Vid. Dn. Carpzov. prax. Crim. 5. q. 3.* confer P. H. O. *art. 155.* Qvod si personaliter in judicio compareat reus, judex adhibito Notario super crimine ipsum interrogabit, & eo negante testes recipiet, & ad ulteriora, qvæ ad perfectionem processus & veritatem eruendam spectant, procedet. Imprimis autem observet Judex, ut recto tramite ad finem veritatis indagandæ in ejusmodi examinibus progrediatur, non animum, reum involvendi & ad confitendum delictum inducendi habeat. Reo verò delictum

spontè

ſpontè confitente; vel alias de ipſo ſatis convicto, nullæ ulterius officii partes ſunt, niſi in condemnando: nam talis confeſſio contra eum plenè probat, poteſtque ex illâ condemnari. Jul. Clar. *q. 65 n. 1* Propterea etiã ſine ulterioribus circuitionibus ad ipſam officii Judicis cauſam finalem tandem progrediendum. Sit itaque

CAPUT IV.

DE

Causâ offic. Jud. finali.

§. 1.

DIximus hactenus de cauſis officii Judicis internis & unâ externâ, reſtat nunc, ut etiam reliqvam, finalem ſcil. ſuperioribus adjungamus. Inspicientibus autem nobis definitionem officii Judicis, duplex præprimis ejusdem ſeſe offert finis; Primarius nimirum; qvi eſt ſtatus Reip. qvietus atque pacatus, ſive Salus Reipub. Hæc enim ſuprema lex eſt Cic. *2 de LL.* & ad hanc unicè omnia referenda. Cic. *lib. 1. Rhet. n. 59.* Et per conſequens etiam officium Judicis, ſiqvidem non minimum exinde Reipubl. commodum enaſci poteſt, cum ejusdem interſit, cives pacatos habere atque tranqvillos. Secundarius verò finis eſt cauſarum litigioſarum deciſio, & per hanc civium privatorum tranqvillitas. Ideo enim litigantes Judicem adire, ejusque officium humiliter implorare ſolent, ut poſt cauſam controverſam diligenter auditam, utriusque partis probationes & defenſiones plene cognitas, allegata eodem ſpectantia plena inqviſitione diſcuſſa, per maturam deliberationem lis ab eo decidatur, & unicuique ſuum per ſententiam ſuam tribuatur, paxque inter illos reſtituretur

§. 2. Ex his apertè ſatis conſtare putamus, officii Judicis cauſam finalem maximè eſſe ſententiæ pronunciationem, quæ, quomodo fieri debeat, & in quonam conſiſtat, conſentaneum erit inſtitutâ methodo breviſſimis hic explicare. Non autem operosè laborabimus, in demonſtrandâ ipſius ſententiæ naturâ, quomodo nimirum hic vel illic accipiatur, ſicuti in *l. 8. §. at cum humana C. qui teſt. fac. l. 32. de damn. infect. aliisq; locis* pro opinione aut

sensus significatione accipi solet; nec etiam de interlocutoriis sententiis,(sic dictis, quod summariè inter partes interea dum expectatur judicium definitivum, ferantur, Germanice Beschetdt) nobis hic sermo est, qvippe quæ in singulis fermè principalis causæ adhuc pendentis incidentibus controversiis proferuntur *l. 39. pr de min or. c. 6. X de rest. & att.* sed eam tantum sententiam, per qvam ipsa causa principalis in judicium deducta deciditur *l. 19. l. 55. l. 28. l. 42 l. 59. & ib.* Duar. *de re jud.* hic consideramus, Et hanc qvomodo ferre & qvid circa illam observare necesse habeat Judex pro ratione officii sui, paucis expositurí sumus.

§. 3. Eam verò æqvius & justius pronuntiare haud poterit Judex, qvam si ante omnia severissimum Jehovæ nostri mandatum, qvo judices neqve ad dextram neqve ad sinistram deflectere; verùm sine personarum respectu rectò procedere *Deuter. 16. v. 19.* & neqve pauperi indulgere, neqve potenti assentari strictè jubentur *Lev. 19. v 15.* perpetuo sibi ob oculos ponat. Qvo in casu laudandus omnino laudabilis veterum mos, qvi in primordio cujusqve litis sacràs in conspectu Judicantium collocabant scripturas, ut judices ad eas attendentes, sincerius litem dirimerent, & cogitarent, illâ ipsâ horâ, qvâ de aliis judicent ipsosmet à Deo judicari. vid. *l. 14. C. de jud jung. gl* Lanbrecht *lib. 3. art. 30.*

§. 4. Deinde veram & justam sententiam qvin dicat Judex nullum est dubium, si ad ipsius sententiæ reqvisita, qvæ vulgo à Dd. reqviruntur, & à nonnullis in duplicem formam rediguntur, diligentissimè attendat. Primo enim qvoad formam sententiæ externam reqviritur, ut ea post plenam demum causæ cognitionem & servatum legitimum procedendi ordinem proferatur *l. fin [illegible] f. quod met. caus.* (2) ut ex scripto recitetur. *t. t. C. de sent. ex per. recit.* [illegible] à Judice ipso (nisi forte persona sit illustris *l. 2. d. t.*) pro tribunali sedente *Nov 82 c. 3.* de q[illegible] tamen vid. Umm. *disp. 19. th. 9. n 41.* (4) partibus litigantibus earumqùe procuratoribus, nisi alterutra per contumaciam absit, præsentibus Magnif. Dn. P[illegible] *Exerc. 43 θ 5.* (5) expresso judicis & partium nomine, Const. E[illegible] *16 p 1.* (6) loco consvero *l. 6 C. de sent. & interl. omn. jud. l. pen [illegible] de J. & J.* (7) denique interdiu non noctu, alias lata non [illegible] notat *gl.* Bart. & commun. Dd. *in l. 8 ff. de fer. l. 20. C. de transact.*

transact. qvod lim... Marant *p. 6 de. sent. n. 92.* add. Bach. ad Treutl. *2. D. 23. th. 3 lit. g.*

§. 5. Qvoad Formam internam reqviritur ut (1) contineat condemnationem vel absolutionem *l. 1 ff. de re jud.* Bart. ibid. ubi tamen præcisè necessarium non est, ut in eisdem verbis: absolvo, condemno, utatur; sed sufficit, si contineat verba æqvipollentia, veluti *in l. 21. §. 1. de recept. arb. l. in summa ff. de re jud.* Bart. in *d. l. 1. n. 4.* add. Bach. *d. D. th. 2. l. a.* (2) ut conveniens sit juri, consvetudini & stylo *pr. Inst. de off. jud.* Unde omninò curare debet Judex, ne à legibus & constitutionibus recedat, alias sententia ipso jure nulla erit, adeo ut etiam appellationis necessitas remittatur *l. 1. §. 2. ff. quæ sent. sin. app resc. l. 17 ff. de appell.* qvod intelligendum, si contra jus in abstracto & thesi, secus si in concreto & hypothesi consideratum, pronuntiet, uti loqvitur Franz. *comment. ad Inst. de off. Jud.* Non tamen inqvirere in leges debet; sed uti latæ sunt, ita reddere tenetur. Nudus enim minister est, & nullam δικαιοθεσίαν, sed δικαιοδοσίαν habet, uti Bach. observavit, & à Compilatore Juris Saxonici annotatum est *lib. 2.* Landrecht *40. ibi*: Daß dem Richter nichts gleichers dünckẽ soll / denn das das Recht gesetzt hat / denn Er mag es weder höhen noch mindern. Qvapropter etiam olim judices ad singulas causas, majores, se qvod melius & æqvius visum fuerit, judicaturos, minores verò, se facturos secundum leges & jura, jurare jussi sunt, uti patet ex *auth. C. de jud.* Qvod de consvetudine non observatur, cum judices non jurent ad singulas causas; sed in principio, dum ad munus judicandi adsumuntur, præstent juramentum ejusmodi, qvod ad omnes causas pertinet. vid. Zoes. *ff. de jud. n. 29.* Sanè, ubi jus scriptum in applicatione ab æqvitate dissidere videtur, arbitrio judicis aliqvid dandum est, ut secundum æqvitatem potius, peculiaribus circumstantiis permotus judicet, qvam verbis legis præcisè inhæreat *l. 8. C. de jud* vid. Frantz. *d. l.* (3) reqviritur, ut sententia sit conformis libello *l. 18. ff. comm. divid. l. ult. C. de fideic. libert.* Hinc fatuus dicitur Judex, qvi in alio condemnat, qvam petitum est *dd. text.* qvomodo autem hæc assertio intelligenda vid. Schneidew. *ad §. 32. J. de act. n. 40.* add. Bach. ad Treut. *d. l. lit. a.* (4) ut, qvantum fieri possit, certa feratur, etiamsi pe-

ratio sit incerta, uti expressè traditum in *d. §. 32. J. de act.* Cum enim, uti diximus, finis officii judicis sit, sententiâ suâ controversiis finem imponere *l. 13. §. 2. de arbitr.* non debet ea esse obscura, incerta & ambigua, ex quâ nova litis semina oriri possint. Coras. *de off. jud. n. 1.* qvæ ob id ipso jure nulla est, nec vires rei judicatæ conseqvitur. *l. pen. & ult. C. de sent. quæ sin. cert. quant.* Vide tamen egregie hoc limitantem Schneidew. *d. §. 32. n. 29. seqq.* (5) reqviritur, ut sententia sit actis congrua: ubi occurrit tritissima pariter & vexatissima qvæstio; an judici secundum allegata & probata, an verò secundum propriam conscientiam sit judicandum? In qvâ quæstione cum Magnif. Dn. Præside asserimus, eum neque contra acta, neque contra conscientiam unqvam judicare; sed si contingat, qvod reum publicis probationibus convictum, ex propriâ scientiâ innocentem noverit, eo casu ad superiorem rem deferre, eiqve scientiam suam exponere debere vid. *d. Exerc. § 5.* (6) Denique reqviritur, ut contra eum, qvi litem contestatus est, sive dominus sit, sive procurator, sententia feratur *l. 1. ubi gl. & Dd. C. de sent. & interloc.* qvod tamen fallit in Camerâ, ubi semper in Dominum fertur sententia, sive ipse, sive procurator litem contestatus fuerit, Gail. *1. obs. 109. n. 3. & 2. obs. 102. n. 7.*

§. 6. Et hæc circa sententiam in genere dicta sufficiant. Plura qvi desiderat, apud Dd. passim invenire potest. Cœterum qvomodo in specie ratione cujusque actionis sententiam ferre debeat judex, satis superque ostendit Imperator noster in *tit. Inst. de off. Jud.* quo C. L. brevitatis causâ remittimus. Unicam tantummodo circa hanc materiam addere lubet qvæstionem: an nimirum si judici obveniat casus, argumentis æqvalibus ab utrâque parte adductis adeò dubius, ut ad aliquam partem se determinare non possit, detur casus pro amico, ut Judex parti, cui magis faveat, gratificari possit? Eqvidem in hâc quæstione diversæ extant sententiæ; Alii enim in tali casu rem sorte dirimendam: alii partes ad transactionem cogendas esse, moti *arg. l. 54. §. f. de leg. 1.* alii rem inter partes dividendam existimant. Zoes. *ff. lib. 5. tit. 1. n. 32.* Qvin, pro affirmativâ speciosa, gratiosa, judicibusque lucrosa argumenta pugnare videntur, eamque solidè defendit Andl. *in Medul.*

Medul. Jur. Justin. tit. de off. jud. Veruntamen relictis aliorum sententiis, nos negativam rationi Juris, æqvitati publicæque saluti magis accommodam, etiam probabiliorem esse ex rationibus seqventibus judicamus (1) qvod clari textus pro istâ pugnent, statuentes, Judicem secundum veritatem judicare teneri *l. 3. C. de sent. & interl. l. 14. C. de jud. auth. qui semel C. qvom. & qvand. judex*; qvod si pro utrâque parte rationes appareant, quod justius & melius visum fuerit, seqvendum. *auth. C. de Jud* (2) qvod si judici omnibus probè ponderatis adhuc non constare possit, qvod verisimilius videatur, alius gratificandi modus præscribatur, nimirum ut in causis dubiis pro libertate, vel dote pronunciet *l. 20. & l. 85. pr. ff. de R. J.* ut humaniorem sententiam amplectatur. *l. 11. §. f. ff. de reb. dub.* ut faveat repetitioni magis, quam adventitio lucro. *l. 41. §. 1. ff. de R. J.* (3) qvod salus Reipub. promovenda omnibus & præprimis judicibus, suprema lex esto, quæ procurari salubrius non potest, qvam si tota Judicis intentio ad merita causæ & rei respiciens, & sic rei favendo, personam negligens, relicto minori bono, ad publicum tanqvam majus bonum, semper directa reperiatur vid. Andr. Hertzog; *in quæst. de fav. Jud.* Et sic satis stabilitam putamus negativam. Plures rationes afferre supervacaneum existimavimus, potius his contenti, nos convertimus ad causas criminales.

§. 7. Etenim in his circa sententiam ferendam perinde, ut in civilibus, multa sunt, quæ judicem præ oculis habere oportet, & si vacaret, latius hic explicari possent, imò deberent. Verum cum jamjam laborem nostrum supra votum excrevisse videamus, remittendo B. L. ad ea, quæ latè de his repeiuntur ap. Clar. & Carpz. dd. locis, calamo imperamus & ad colophonem imponendum, eum ductitamus.

§. 8. Latâ sic sententiâ, & eâ in rem judicatam transeunte consequens nunc foret, ut etiam de executione ejusdem quædam adderemus, Nam frustra sententiæ feruntur, nisi etiam executioni mandentur. Gloss. *in rubr. C. de execut. rei jud.* imò autoritas magistratus contemtui & despectui habetur, nisi sententiam latam executio inseqvatur. Jacob. Thoming. *vol. 1. cons. 17. n. 6.* præsertim, cum non minor in exeqvendo qvàm judicando officii

 judi-

Judicis ratio exigatur, nec facilior actus executionis, qvam ferendæ sententiæ, in quo æqvè prudenter & cautè procedendum, ne formæ ac ordinis neglectus sive præposteratio actum executionis penitus annihilet, uti his verbis loquitur Magnif. Dn. Carpz. *proces. Jur. t. 25. pr.* Sed, qvamvis vellemus, angustia paginæ nos excludit, neque tantâ brevitate, qvàm nostri instituti ratio postulat, copiosa hæc executionis materia adjici potest; ideoque inviti hic eam relinqvere, & dissertationem hanc nostram claudere cogimur. Sit itaque, actis prius divino Numini debitis gratiis, & exoratâ à B. L. tenuitatis meæ veniâ

FINIS.

PRÆSTANTISSIMO AC POLITISSIMO!

DN. MARTINO ALBERTI

J. U. Cultori strenuo, publicè disputaturo

FELICITER.

IN clarâ vires tentas solidare palæstrâ:
Ut victor redeas, corde favente precor.

Joh. Ernestus Gerhardus SS. Th. D. & P. P.

JUdicis officium doctè proponis, Amice,
Te benè functurum hôc judicat ipsa Themis.

Eximio Dn. Respondenti ex animo gratulatur

Georgius Adamus Struve / D.

Dum

Dum Juris cathedram felici sidere scandis,
Atque doces quid sit Judicis Officium;
Subridet Pindô Themis, & Feliciter, inquit,
Has fausto scriptas Marte tuere theses:
Sic Ego te nostris & mox investiam in Aulis,
Et Tibi Judicium, Justitiamque dabo.

Ita
Amico suo singulari de egregio
Specimine Juridico gratulatur
calamo volante
Burchard. Henrich Tilemann'
Frauenbrisnicensis. J. C.

Judicis officium cathedrâ defendere tentas!
Sicque *Tuo* claré fungeris *officio*.
Perge *Tuo* mentis cellsas ostendere dotes!
Atque Themis *partes judicu* alma dabit.
Ita paucis de feliciss. conat. doctissimo
Dn. Auctori, amico suo grat.
FELIX Spitz Ronneb.

Vindex, est animus Tibi, dici fraudis avaræ,
Quis judex fidus, dicere, quisque bonus.
Non ego inornatos voto mittam hosce labores:
Virtutem educet dulcis ad astra Themis.
Ita
grat. laur.
Amicissimo Dn. Respond.
Georgius Wolffgangus Wedelius
Philiater.

Ad

Ad

PEREXIMIUM ATQUE PRÆSTANTISSIMUM

DN. MARTINUM ALBERTI

LL. Cultorem ſtrenuum, Amicum ſuum omni honore proſequendum,

CUi *Themis* alma favet, fauſto illum ſidere ducit;
Duceris, ornabit ſic aliquando comam.

Exiguas haſce lineolas precatus alato calamo ſcribebat

Jacobus Auguſtinus Hünerwolff. Arnſtad. Thuringus. Med. Studioſus.

N*Iteris egregio*, munus *dum nobile monſtras*
Judicis; *Hinc quis non judicet egregia?*

Paucula hæc
Pereximio Dno. Reſpondenti
Amico ſuo ac Contubernali dilecto
gratul. appon.

Chriſtophorus Eckhardi
LL. Stud.

